

565. 2

194

227



L VII 134.  
1-26

Quod supremus vitæ mortisq;  
 nostræ arbiter ita voluit,  
*Amplissimus, autoritate, prudentia, eru-*  
*ditione, meritis gravissimus Vir,*  
 Dn. BARTHOLOMÆUS GEHLERUS,  
 Jurisconsultus,  
 In patria Gorlic. Republ.  
 Consularis, Syndicus,  
 Scholarcha,  
*Animi corporisque dotibus*  
*cumulatissima Matrona*

A N N Æ Mul̃in /

Conjugi desidera-  
 tissimæ,

*Prid. Non. Maii,*

*An. c. Io. Ioc XLVI.*

*piè in Christo defunctæ,*

*funus non sine denicalibus lacrymis*

*IV. Id. ejusd. Mens.*

*facit.*

Docentes in Scholâ Gorlic. idem  
 lugubribus metris comitantur.

---

G O R L I C I I ,

*Typis exscripsit Martinus Hermannus.*

DN 9045772



**H**eu fatum; tristi quod te bis tristius angit,  
GEHLERE, ô patriæ, Consul, ocelle tuæ!  
Jam bis fit; patriâ quòd publicè abesse coacti  
Incestat privam trux Libitina domum.  
Nuper prole, Uxore torum nunc repperis orbûm,  
Absentisq; tui vitam obiisse domi.  
Illa minor, verum ista tua est vel maxima clades:  
Pro patriâ cœptum quâ tibi constat iter.  
Cordolium, ab, luctu majus! quod nemo maritus  
Noverit; is nisi: quem publica cura coquit.  
Sed tibi dissolvat luctum spes Christianas istum:  
Est cujus CHRISTI vincere amore crucem.  
Te specimen magni ut voluit DEUS esse doloris:  
Magni ita solati sis ut imago, dabit.  
Hujus apex CHRISTUS: vita in quo abscondita no-  
Cui pia mors aperit cuiq; ubicunq; fores. (stra:  
Hoc votum si tu, si nos implere precamur;  
Implèsse. Uxorem, ne moveare, tuam.

Aliud.

**A**lter ego conjux: moribundâ at conjuge majus  
Publicum iter, carpsti quod modò Consul, erat.  
Ob patriæ dum vis terrestris abesse salutem:  
Cœlitis in patriæ tecta tua Uxor abit.  
Flebile, sic dirimi. Fortis sed perfer: Surge,  
Urges quod, patriæ commoditatis opus:

(2)

Præ-

*Premiſſa dum laude tuâ ſenis ; ipſe maritam  
Cœlitis in patriæ templa ſequare tuam.*

*Debitæ Obſervantiæ cauſâ condolens p.*

*M. Martinus Mollerus.*

**D***um publici GEHLERs absens commodi  
Cauſa jubetur eſſe de domo ſua :*

*En interim ſua memor licentiæ*

*Pedes in ades ejus infert Atropos,*

*Incidit atq; fila vitæ Conjugis*

*Quæ demeti matura nondum viſa ſunt*

*Si Morta noſſe vellet annorum ordinem.*

*Sic ergo publico excubans pro commodo,*

*Privatus eſt privo (dolendum) commodo :*

*Sarcire quod laboris eſſe plurimi*

*Periculiq; novit eſſe plurimi,*

*Cui mors ademit commodum olim ejusmodi.*

*Proinde a deſte quotquot urbs cives habet,*

*A deſte quaſo a deſte cum lubentia :*

*Ut juſta, qua SCHOLARCHA, CONSUL, SYNDICUS*

*Facturus eſt pro more Conjugi ſuæ,*

*Dum veſtro abeſt bono piè demortuæ,*

*In ſema grati pectoris ſequamini.*

*Vacare namq; commodis ſic publicis,*

*Ut negligas privata commoda, an leve eſt.*

*Obſervantiæ deb. & συμπαθείας  
cauſa ſcrib.*

*David Vechnerus.*

*CON-*

# CONSOLATIO

AD

VIRUM

*Nobilem, Amplissimum, Claris-  
simum & Doctissimum*

Dn. BARTHOLOMÆUM GEHLERUM,

*Jctum excellentiss. Reip. pat. Consu-  
lar. digniss. ejusdemq; Synd. solertiss.  
nec non ibid. supremum  
Scholarch. &c.*

## IN OBITU

*Uxoris charissimæ deside-  
ratissimæque*

ANNÆ MULZIÆ, &c.

*Ut quondam Pylades charum deflevit Oresten:  
Sic, GEHLERE, ANNÆ tristia fata gemis.  
Vos tellus cœli tractu produxit eodem  
Lusata, quæ pingues Nissus inundat agros:  
Gorlicii junxit thalami Vos fœdus amicum,  
Verus Amor, veræ pignus Amicitie:  
Hæc Te, dante DEO, formosâ prole Parentem  
Fecit, curarum & grata medela fuit:  
Vis animæ illius quando exhalata recessit  
Corpore, non præsens corpore Consul eras:  
Est id deflendum, charæ quod Conjugis ipsam  
Non oculorum aciem clausuris ipse manu:  
Et fortasse dolet Tibi id unum, sicq; gemiscis:  
Te crucians noctes, Te cruciansq; dies:*

(2)

De-

*Desine: non homini fas est committere, quod non  
Nos facere hic voluit dextera firma DEI.*

*Sic fuit in fatis: alio non fata tenore*

*Currunt: se fatis opposuisse nefas.*

*At DEUS aeternus, quando ultima venerit hora,*

*Restituet Sociam, Magne Patrone, Tibi.*

Condolentiæ ergo scripta à

M. Christophoro Hafsurdio.

---

**N**unc picturati rediit nova gratia veris.

*Namq; viret tellus, vernant sua gramina campis,*

*Et nunc omnis ager ridet, nunc parturit arbor,*

*Omnis planta suum monstrat decus atq; vigorem.*

*Ast tua decrescit terris, dignissime Consul,*

*Conjux, è cæco demigrans carcere vitæ.*

*Sed benè, cum terris etenim terrena relinquens*

*Invenit cælum, nec non cœlestia quævis.*

*Hic crucis ærumnam passa est, & mille labores:*

*Illic solvetur curarum mole vel omni.*

*Hicq; dolens gemuit vix puncto temporis: illic*

*Æternis plaudens gaudebit gaudia seclis.*

Condolens f.

Paulus Gebhardus.

---

**Q**uod tam triste Tibi vulnus, GEHLERE, Tuisq;  
*Acerba mortis intulit ferocitas,*

*Matre Tuos fidâ spolians, Te Conjuge carâ,*

*Vides dolere Civitatis Ordines.*

*Sed*



*Sed læsi quamvis cordis medicina dolorem  
Tibi, Tuisq̄ leniet gravissimum?  
Nempè peracta Dei, pridem decreta, Voluntas:  
Cui obsequi ipsa præcipit necessitas.  
Omnibus est eadem Lex, & scopus omnibus idem,  
Citovè, seriusvè fiat, emori.  
Erigit hoc animos firmo solamine tristes,  
Sinistra fortè fata quæ pios premant.  
Præstet idem vobis solatia: sic etiamnum  
Tibi Marita, sic Parens Tuis erit.*

*Debitæ observantiæ ergò lugens app.*

*Andreas Thefeus.*

---

**F***alleris ab! spondes longævum temporis usum  
Qui tibi, qui vitæ prosperiora tua?  
Hospes es hîc: hîc multa pericla subire necesse:  
Et non effugies tela tremenda necis.  
Exemplo, ô Matrona, præis: florentibus annis,  
Cùm Te corripit mortis avara manus.  
Te morbi exanimat fluidi tentamen acerbum:  
Pharmacum, & humanæ nil fuit artis opus.  
Sed post exhaustos, exantlatosq̄ dolores,  
Et patriam exoptas, atq̄ quiete frui.  
Jamq̄ ratam patriam repetis, cœlestia tempe:  
Nullus ubi morbus, plena salute quies.*

*Fe-*

*Felix, qui cœli spe fert, toleratq; dolores,  
Longè promissis uberiora feret!*

Observant. deb. & condolent. e. add.

David Sartorius.

---

**N**eu, Patrone, tibi luctum patiare medullam  
Exsiccare tuam, Conjugis ex abitu.  
An non, qui timidus, cultor, modò semina sparsit,  
Jam sperans messem, pectore letus ovat?  
At tu, dum Socia nunc mandas corpora terra,  
Lugens in lessus defluis & lachrymas?  
Jam jam communi nostrâ pariente parente,  
Viva tibi surget, lesibus adde modum.  
Hinc tibi delicia, complausus, gaudia, risus,  
Quæ non turbabunt prælia, morsvè, lues.

Condolens fundebat

Matthæus Seylerus.

---

**S**anguine cùm Christi prensanda nixa salutis  
Sacra fides, certam monstret ad astra viam;  
Optata, dilecta Parens, compendia metæ  
Quasisti, vitam dum pietate probas.  
Tujam participas puri nova gaudia cœli:  
Præcedis natum; promptus & ipse sequar.

Moerens lugensq; filius

Johannes Gehlerus,  
Schol. Pat. Alumn.

F I N I S.



564  
291-  
2004

Oberlausitzische Bibl. Görlitz



1006892 2